



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

364. An beneficium resignari possit in favorem Capituli, vel Conventus alicujus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

nec obstat *c. nemo demceps*. eò quòd ibi sermo sit de commendà, quæ quitantur durat per 6. menses, nimirum non sit, si de ea (nimirum ut sit actu sacerdos) statuatur; cum annus ad promovendum expectari nequeat.

3. Respondeo ad secundum primò: majorem 14. & minorem 25. annis posse acceptare absque curatore beneficium sibi resignatum. Paris. cit. q. 9. n. 44. citans Buratt. conf. 411. l. 4. Mandos. de etat. minorum, q. 30. ac dicens sic teneri ab omnibus; eò quòd, dum agitur de acquirendo beneficio, agatur de lucro, quemadmodum & ideo, quia de lucro tractatur, & utile sibi negotium gerit, adire potest sine curatore hereditatem. *l. impuberibus. ff. de acquirend. heredit.* Paris. nu. 48. tum etiam quia habet legitimam personam standi in iudicio tam per se, quam per procuratorem in spiritualibus & beneficialibus. Paris. nu. 49. citans *c. ult. de iudic. in 6. & ibi communiter DD.*

4. Respondeo ad secundum secundò: sine curatore quoque acceptare potest talis beneficium sibi resignatum reservatis resignanti fructibus aut pensione: Quin & ad consentiendum tali resignationi & reservationi constituere procuratorem, ità ut valida sit resignatio etiam curatore ejus non consentiente. Paris. n. 52. citans Buratt. conf. 411. l. 4. Mandos. ubi ante. & binas Rotæ decis. eò quòd & hic (quæ ratione motam ait Rotam Paris. nu. 53.) & in hoc casu adhuc agatur de lucro; cum resignationes quòd ad resignatarium sint favorabiles, & saltem ratione spei dicatur resignatarius acceptans agere de lucro, licet omnes fructus sint reservati alteri, & nemo sit, qui non desideret etiam habere taliter beneficium: Nec obstat, quòd aliàs consentire non possit sine curatore in rebus sibi utilibus, ubi onus est adjunctum, ut Gozadin. conf. 16. nu. 8. cum aliis passim apud Paris. num. 50. nam id procedit, ubi ante consensum minori esset jus acquisitum; tunc enim diceretur fere distractio juris, seu obligatio ad onus, in casu autem dictæ acceptationis, ante hanc, seu ante consensum jus nullum acquisivit. Paris. n. 53. qui & nu. 54. subjungit, procedere hæc eò magis, si Papa derogaret regulæ de præstando consensu, arreto, quòd resignatio sit in favore minoris; eò quòd, dum Papa vult, non esse necessarium consensum, resignatio non possit annullari ob defectum non præstiti consensûs legitimi.

Questio 363. An beneficium seculare resignari possit regulari & contra?

Respondeo negativè: Regularis enim inhabilis est ad beneficium seculare & contra. Paris. l. 4. q. 5. n. 1. & 2. citans plurimos juxta dicta à nobis aliàs, ubi de beneficio regulari, quò faciunt verba Trid. sess. 14. c. 10. de reform. Regularia beneficia in titulum regularibus professis provideri consueta, cum per obitum aut resignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, religiosis illis ordinis, vel is, qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis, conferantur & c. ubi, quòd ad præsentem materiam de resignatione, reflexè ponderanda esse verba illa; aut per resignationem, ait Paris. & sic monachum esse inhabilem ad beneficia secularia sine dispensatione, & collationem non tenere, etiam si sit facta motu proprio, fuisse resolutum à Rota testatur Paris. loc. cit. n. 4. Canonico tamen regulari posse provideri de bene-

ficio seculari curato cum dispensatione Episcopi, resolutum fuisse à Rota in Metensi Parochial. 16. Nov. 1552. testatur Paris. n. 5. Verum & de hoc postremo vide à nobis tractata fusè & ex professo alibi.

Questio 364. An beneficium resignari possit in favorem capituli, vel conventus alicujus?

Respondeo affirmativè. Paris. l. 4. q. 10. nu. 1. Rex Mandos. verum ut iidem AA. talis resignatio unioni æquivaleret, cum beneficii sic resignati vacatio ulterius contingere non soleat, quia capitulum seu conventus non moritur. Paris. loc. cit. num. 3.

Questio 365. An femina resignari possit beneficium ecclesiasticum?

Respondeo negativè: Quia femina inhabilis est ad obtinenda beneficia, ut Rebuff. de pacif. poss. n. 312. Hojed. de incompat. p. 1. c. ult. n. 73. & AA. communiter in *c. cum in nostris. de concess. preb.* Paris. l. 4. q. 6. n. 1. Verum hæc intelligenda de beneficio, quòd habens masculus, resignaret in feminam. Secus enim est si femina habens Prælaturam, v. g. Abbatissam vellet illam resignare in favorem alterius femine, id enim posset. Paris. ibid. n. 2. citans Sarn. in reg. de infirmis. q. 6. Mandos. ibid. q. 3. & c.

Questio 366. An resignari possit beneficium habenti dignitatem?

Respondeo affirmativè: idque, etiam si sit Cardinalis, Patriarcha, Episcopus, etiam proprius, ejuſve Vicarius. Paris. l. 4. q. 8. n. 4. & 5.

Questio 367. An resignari possit beneficium Præceptoribus, Gubernatoribus & similibus, habentibus potestatem super resignantem?

Respondeo: Secundum jus commune id fieri posse, modò fraus nulla interveniat. Ait tamen Tond. qq. benefic. p. 1. c. 50. nu. 18. quòd resignatio facta ad utilitatem Magistri, Præceptoris, vel alterius habentis potestatem super resignantem in Gallia sit distinctè prohibita, pro quo citat Papon. l. 16. tit. 3. Arresto. 3. quin & irrita, ut habet idem Tond. in summario. cit. c. n. 18. Loquitur autem de minore resignante. vide dicta supra, ubi de resignatione minoris & restitutione illius in integrum.

Questio 368. An resignari possit beneficium affinis & consanguineis?

Respondeo affirmativè. Paris. l. 4. q. 8. n. 6. citans Navar. in man. c. 23. nu. 107. Non viderur tamen patet posse resignare beneficium suum in favorem filii sui, etiam legitimi, quin Papa dispenseret eum, si filius immediatè succedat in beneficio, res hæc præferat speciem quandam successionis hereditariæ. Argumento *c. ex transmissa. de filiis presbyter.* Unde etiam, si filius patri beneficium resignavit, isque illud obtinuerit, filius idem beneficium immediatè post patrem consequi nequit, etiam per liberam collationem. Laym. in *c. constitutus. de filiis presbyt. n. 1.* Poterit tamen (intelligè sine interveniente ulla dispensatione) extraneus bene-